

clesiasticos, in alendis & dotandis nepotibus minime indigentibus consumunt. Præ oculis habeant istos Ludolphi Carthusiani vericulos:

Dum genitor rerum privavit femine Clerum
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

C A P U T I I I.

De Officiis Religiosorum.

STATUS Religionis describi solet *stabile vitæ institutum, approbatum ab Ecclesia, ad perfectionem tendens per solemnia castitatis, paupertatis & obedientiæ vota*. Dicitur 1^o. *stabile institutum, quia per vota in perpetuum Dei obsequium homo sese tradit immutabiliter*. 2^o. *Ab Ecclesiâ approbatum, id est, à Sede Apostolica, juxta posteriorum sæculorum consuetudinem*. Olim enim ad instituenda monasteria satis erat sola Episcoporum approbatio. Concilium autem generale Lugdunense II an. 1274, statuit ut nullus deinceps Ordo religiosus citra Romani Pontificis consensum admitteretur. 3^o. *Ad perfectionem tendens; eo quippe spectat, ut per religiosæ disciplinæ observationem acquiratur perfectio christiana*. Ad eum finem attendant diligenter, qui de suscipienda Religione cogitant, vel qui post eam susceptam, in virtute magis ac magis proficere non curant. Meminerint hæc S. Bernardi verba: *O Monache, non vis proficere? vis ergo deficere.* (*Epist. 254. n. 4. tom. I. pag. 255.*) 4^o. *Per solemnia vota castitatis, &c.* in tribus enim his votis consistit status religiosi essentia; siquidem per ea homo se suæque omnia Domino devovet. Nimirum per obedientiæ votum animam suam Deo consecrat, voluntatem suam propter Deum Superiori subjiciens; per votum castitatis Deo suum corpus mancipat; tandem per votum pau-

peratis Deo bona sua temporalia consecrat, propter ipsum iis sese exuens, in quo possidendo suum omne bonum constituit.

Cùm Religiosus quilibet suam regulam, suasque constitutiones speciales præ manibus habeat, hic ea tantum expendemus quæ omnibus Religiosis sunt communia; quod quinque in articulis exequemur: primus erit de ingressu in Religionem; secundus, de professione religiosâ; tertius, de obedientiâ; quartus, de castitate & paupertate; quintus, de *claustris* (gallicè *clôture.*)

ARTICULUS PRIMUS.

De ingressu in Religionem.

Quæres 1^o. quidam invalidè recipiantur in Religionem.

Resp. Invalidè recipiuntur 1^o. qui non sunt sui juris; hujusmodi sunt, tum servi qui dominis suis se totos debent, verumque furtum committunt, si cuiquam alteri se dedant; tum pueri impuberes qui vel parentibus, vel tutoribus quoad vitæ institutum subjiciuntur: ubi verò pubertatis ætatem attigere, Religionem ingredi possunt, etiam invititis parentibus, quia in his quæ ad statum vitæ pertinent, tunc sunt sui juris: ita S. Thomas. (*2. 2. quæst. 191. art. 4.*)

2^o. Conjux post consummatum matrimonium, nisi pars altera consentiat, & vel ipsa Religionem profiteatur, si juvenis sit; vel castitatis perpetuæ votum emittat, quando ætate provecta est. Ita enim jure canonico statuitur: *Nisi uxor ad Religionem transferit, aut perpetuè castitatem servare promiserit.* (*Lib. 3. Decret. tit. 32. c. 1. p. 1258.*)

3^o. Invalidè recipiuntur quos propriæ alicujus Religionis constitutiones excludunt, quæ idcirco consulendæ sunt.

Quæres 2º. quanam illicitè recipiantur.

Resp. illicitè recipiuntur 1º. qui ære alieno gravati sunt, ut declaravit Clemens VIII constitutione datâ an. 1602 : qua in re temperavit Sixti V constitutionem, quæ ære alieno ultra facultates suas oppressos ad professionem fecerat inhabiles.

2º. Filii quorum operâ & subsidio parentes indigent : *Ille qui est in sæculo constitutus*, ait S. Thomas, *si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis reliâdis, Religionem intrare, quia transgredereetur præceptum de honoratione parentum.* (2. 2. quæst. 101. art. 4. ad 4.) Pariter non licet alicui filios habenti, inquit idem Doctor, *Religionem ingredi, omninò prætermisâ curâ filiorum, id est, non provisò qualiter educari possint.* (2. 2. quæst. 189. art. 6. in corp.)

3º. Qui virginem spe matrimonii deceperunt : huic enim per ingressum in Religionem gravem injuriam inferrent.

4º. Qui reddendis rationibus sunt obnoxii, ut tutores, nisi priùs huic officio satisfecerint.

Quæres 3º. an liceat cuiquam Religionem proponere.

Resp. id ex se licitum esse, siquidem ad eum finem spectat Religionis status, ut acquiratur perfectio christiana : *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quòd inducentes alios ad Religionem, non solum non peccent, sed magnum præmium mereantur.* (2. 2. quæst. 189. art. 9. in corp.) Id tamen, positis quibusdam circumstantiis, illicitum esse potest ; 1º. *quidem*, ait S. Doctor, *si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret ; ... 2º. si quis simoniacè alium ad Religionem trahat muneribus datis ; ... 3º. si mendaciis cum alliciat, imminet enim sic inducò periculum ne, cum se deceptum invenerit, retrocedat.* (*Ibid.*)

Hinc colligendum graviter peccare 1º. parentes qui durè cum suis liberis agunt, eos rebus ne-

cessariis defraudant, & molestâ quâdam servitute fatigant, ut ipsos ad Religionem amplectendam compellant ; 2º. personas religiosas quæ varias artes & illecebras adhibent ; quæ austeriores sui Ordinis regulas perfido silentio premunt, ut alios sua in monasteria alliciant.

ARTICULUS II.

De Professione religiosa.

Quæres 1º. quænam requirantur ut valida sit professio.

Resp. requiri 1º. ætatem sufficientem & annum probationis, ut statuit Concilium Tridentinum his verbis : *In Religione tam virorum quàm mulierum, professio ne fiat ante 16 annum expletum, nec quì minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur ; professio autem antea facta sit nulla.* (*Sess. 25. de Regularibus, cap. 15.*) In Galliis verò ex constitutione regiâ Ludovici XV, professio validè fieri non potest, nisi post annum 21 pro masculis, & annum 18 pro feminis.

Annus probationis, post susceptum habitum, ita completus & integer esse debet, ut si vel una quidem hora deesset, irrita foret professio : ita Fagnanus. (*Tom. 3. part. 2. pag. 31. n. 14. Edit. Rom. an. 1662.*) Unde in re tanti momenti locum non habet quod vulgò dicitur, scilicet *diem inchoatum pro completo reputari*. Continuus etiam minimèque interruptus sit oportet hic annus, ita ut si candidatus per unum diem, imò per duas horas, juxta Fagnanum à Religione discessisset, integrum probationis annum repetere teneretur. Quâ de re sacræ Congregationis responsum sic refert : *Consulta à Procuratore generali Ordinis Minorum, an Novitius qui à monasterio, ut*

aliam Religionem ingrederetur, abierat ac duas tantum horas in alio conventu moram traxerat; at statim deinde facti poenitentis reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis; respondit teneri ab eo die quo rediit. (*Ibid.* pag. 32. n. 27.) Si tamen Novitius post susceptum habitum, & aliquod tempus in monasterio transactum, ab eo egrederetur iustam ob causam, & cum sui Superioris licentia, necesse non esset ut novum probationis annum inciperet. Ita à sacra Congregatione definitum refert Fagnanus. (*Tom.* 4. part. 1. n. 39. pag. 54.)

2º. Ad validam professionem requiritur ut ventis consensus sit integer, ab omnique metu gravi expeditus. Hinc si puella Religionis votum emisit propter timorem à patre vel matre incussum, qui malum aliquod respectu puellæ grave comminati fuerint, non valet huiusmodi votum.

Quæres 2º. an puella, tum ante susceptum habitum, tum ante professionem, examini subiicienda sit.

Resp. à Concilio Tridentino constitutum esse, ut puella habitum regularem non antè suscipiat... nec professionem emitat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius aut aliquis eorum sumpibus ab iis deputatus, virginis voluntatem diligenter. (*Sess.* 25. de Regul. cap. 17.) Ex eadem autem Synodo inquirendum est 1º. an coacta aut seducta sit; 2º. an sciat quid agat: quod si non satis cognoverit erudienda est. Novitiæ, inquit S. Carolus in Concilio Mediolanensi I, demonstrat quàm gravis ea res sit, quàmve multas res tria Religionis vota requirant; vinculi vim intelligat quo se obstringi vult; (*Ad. Eccles. Mediol.* tom. 1. tit. 6. part. 3. pag. 41.) 3º. an habuerit conditiones requisitas juxta monasterii illius & Ordinis Regulam.

Quæres 3º. an reclamare possit qui professionem nullam emisit.

Resp. potest ex Concilio Tridentino à quo tria requiruntur: (*Sess.* 25. de Regul. cap. 19.) 1º. Ut Religiosus de quo agitur, reclamet intra quinquentium à die professionis computandum. Excipiendus tamen est casus in quo propter gravem metum, vel aliam ob causam iustam impeditus fuisset ne reclamaret. (*Decretal.* lib. 1. tit. 40. cap. 1. pag. 477.) 2º. Ut causas quas præten dit, coram Superiore suo, id est, monasterii in quo residet, & Ordinario deducat. 3º. Ut ante hanc disceptationem habitum non dimiserit: alioqui nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur; sed ad monasterium redigatur, & tanquam apostata puniatur. Quod sapienter à sancta Synodo constitutum est. Aliter enim multi quorum firma esset professio, eam nullam esse obtinentes, regularem habitum deponerent & in sæculo, non sine gravi fidelium offensione, viverent.

Quæres 4º. utrum Religionem aliquam professus, aliam deinceps amplecti possit.

Resp. non potest citra dispensationem à Religione strictiori ad laxiorem transire. Nemo Regularis, inquit Concilium Tridentinum, cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem. (*Sess.* 25. de Regul. cap. 19.) Hæc autem dispensatio non nisi à Sede Apostolica concedi potest: Ipsmet Superiores Regulares, ait Fagnanus, agnoscunt se non habere potestatem super hoc dispensandi, cum pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apostolicam. (*Tom.* 2. pag. 167. n. 29.) Si verò Religio ad quam sese transferre vult aliquis, eâ severior sit quam suscepit, non ita necessarius est Superioris consensus, qui tamen postulandus est. Postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ... liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proteivâ indiscreti contradictione Prælati, quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.

(*Lib. 3. Decretal. tit. 31. cap. 18. pag. 1250.*)
Ab ea tamen regula excipiendi sunt Ordinum Mendicantium Religiosi, qui sine expressa Romani Pontificis licentia, alii Ordini, etiam austeriori, nisi fuerit Carthusianorum, nomen dare non possunt.

Notandum autem Religiosum qui ab uno Ordine ad alium cujus diversum est institutum transfertur, per annum integrum probationi esse subiciendum. Priusquam enim novum hoc vitæ genus profiteatur, utrum ad illud idoneus sit compertum habeat necesse est. Eandem ob causam expedit annum probationis ab iis etiam exigere, qui ab uno monasterio ad aliud ejusdem instituti, sed ubi severior est disciplina, sese conferunt.

ARTICULUS III.

De Obedientia religiosa.

Obedientia hæc vinculum est spirituale, quo Religiosus obstringitur ad parendum Superiori, in omnibus quæ legitimè imperari possunt; hæc virtus ad statum religioni essentiam pertinet. 1^o. *Quia status Religionis*, inquit S. Thomas, *est quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruuntur, vel exercitentur ad illum finem, quasi discipuli sub Magistro.* (2. 2. q. 186. art. 5. in corp.) 2^o. Quia, ut ait S. Doctor, *perfectio Religionis maximè consistit in imitatione Christi, secundum illud Matthæi: Si vis perfectus esse, sequere me: (19. v. 21.) sed in Christo maximè commendatur obedientia, secundum illud ad Philippenses: Factus est obediens usque ad mortem. (2. 8.)* 3^o. Quia propriæ voluntatis sacrificio, & sibimetipsi, & rebus omnibus

perituris quodam modo moritur Religiosus, in quo maximè sita est sui status perfectio.

Quæres 1^o. qualis esse debeat Religiosi erga Superiorem obedientia.

Resp. Debet esse 1^o. *universalis*, eo nempe sensu quod inferior nihil sine Superioris consensu vel mandato suscipiat. 2^o. *Prompta*, adeò ut inceptum opus, qualecumque sit, deferat Religiosus ad exequendam sine mora Superioris voluntatem. *Obediens non est*, inquit S. Bonaventura, *qui secundum expectat mandatum.* 3^o. *Hilaris*, id est, quæ ex animo, non autem ex necessitate prodeat, ita ut sibi gratulentur Religiosi, quod non suo, sed alieno judicio ducantur. 4^o. *Simplex*, quæ scilicet nec præcepti rationem, nec præipientis intentionem studiosè inquiret, & cui sufficiat ut licitum sit quod imperatur. *Multos videmus*, ait S. Bernardus, *post præipientis imperium multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem sæpiùs interrogare. Incede simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem.* (*Serm. 41. de diversis, tom. 1. pag. 1162. edit. BB.*)

Quæres 2^o. utrum in omnibus omninò parere teneatur Religiosus.

Resp. 1^o. Non debet Superiori in iis obtemperare, quæ juri sive naturali, sive divino sunt contraria: *Quid enim*, ait S. Bernardus, *quod jubet homo prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo? Non sic Apostoli; clamant quippè dicentes: meliùs est obedire Deo quàm hominibus. Hinc Dominus in Evangelio Phariseos increpans, quare & vos, inquit, transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? igitur facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potiùs inobedientiam.* (*Epist. 7. tom. 1. pag. 18. n. 3.*)

2^o. Si quod imperat Superior à regula sit præscriptum, semper ei parendum est, Ad regulam enim

observandam ipsâ professione sese obstringit Religiosus. *Qui proficitur*, inquit S. Bernardus, *spondet obedientiam secundum regulam.* (*Tract. de dispens. & præcept. cap. 4. tom. I. pag. 504.*)

3°. Si quid contra regulam præcipiat Superior, tunc ipsi non obtemperandum est, quia autoritate suâ abutitur, nec quidquam valet adversus regulam. *Neque enim Abbas*, ait S. Bernardus, *supra regulam est, cui & ipse spontaneâ sese professione submit.* (*Ibid. cap. 4. pag. 503.*) Ubi verò dubitat inferior, utram regulæ consentaneum sit, an dissentaneum quod ipsi præcipitur, tunc parere debet, quia in dubiis *presumendum est*, ut aiunt, in gratiam Superioris penès quem est jus imperandi, & juxta vulgare axioma, *in dubiis potior est conditio possidentis.*

4°. Si quid jubeat Superior, quod sit præter regulam, obedire non tenetur Religiosus. *Qui enim proficitur*, inquit idem Doctor, *spondet quidem obedientiam, sed determinatè secundum regulam.* (*Ibid. cap. 4.*) Si, v. g. Ordinis S. Francisci Superior suis Monachis præciperet abstinentiam à carnibus, qualis servatur in aliis quibusdam Ordinibus, ut Benedictinorum, nullus ex subditis præceptum illud exequi teneretur, quia non S. Benedicti, sed S. Francisci regulæ suâ professione sese subjecerunt. *Quænam mihi, quæso*, inquit S. Doctor, *in hac re necessitas imminet obsequendi? Solùm quippè id à me posse exigi arbitror, quod promisi,* (*Ibid. pag. 504.*)

Quæres 3°. an semper mortaliter peccet Religiosus, qui in iis obedientiam detrectat, quæ præcipiendi jus habet Superior.

Resp. 1°. eum mortaliter non peccare quando res imperata, tum in se, tum ratione circumstantiarum levis est. De præcepto enim obedientiæ idem sentiendum ac de multis juris divini præceptis, quorum in materia levi violatio peccatum mortale
non

non importat. Præceptorum in re levi violatio in peccatum reputatur, ait S. Bernardus, non tamen in crimen. (*Ibid. cap. 8. tom. I. pag. 507.*) Si tamen mandatum de re etiam levi ex contemptu deliberato infringere, id non fieret sine gravi peccato, quia *elatio contemnens in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam.* (*Ibid. cap. II. pag. 511.*)

Resp. 2°. graviter peccaturum Religiosum, si iis obedire renueret quæ sub peccati mortalis pœna jubet Superior: *Minora majoraque mandata dixerim secundum quod magis minusve velle confiterit ipsum qui præcipit.* (*Ibid. cap. 7. n. 14. pag. 506.*) Tunc autem sub peccato mortali velle obligare censetur Superior, cum suo præcepto gravis pœnæ, v. g. excommunicationis, comminationem adjungit; vel quando istas voces adhibet, *in virtute sanctæ obedientiæ.* Quæ formulæ uti solent Superiores, ut significant se velle, quantum possunt, id est, sub culpa mortali obligare.

ARTICULUS IV.

De Castitate & Paupertate religiosa.

Per castitatis religiøsæ votum Deo spondet aliquis, fore ut perpetuò à delectatione carnali, sive intra, sive extra matrimonium, ablineat. Quæ abstinentia aded annexa est regulæ monachali, inquit innocentius III, *ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*, quia voluptas carnalis retrahit animum ne totaliter feratur in Dei servitium. (*Decretal. lib. 3. tit. 35. pag. 1297.*) Inde sic concludit S. Thomas: *Ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis.* (*2. 2. q. 86. art. 4.*) Unde colliges Religiosum qui contra castitatem actu vel exteriori, vel interiori peccat, duplicem culpam committere; 1°. scilicet
Tom. V. H

contra virtutem castitatis quæ in quolibet vitæ genere obligat, & ipsos etiam conjuges qui continentiam legibus matrimonii præscriptam servare debent; 2^o. contra virtutem Religionis quæ præcipit ut observentur vota Deo nuncupata. Idcirco Religiosi qui contra castitatem peccaverint, tenentur suæ professionis circumstantiam in confessione exponere.

Paupertatis votum ad professionis religiosæ essentiam pertinet. Quisquis enim Religionem proficitur, is ad vitæ christianæ perfectionem sectandam sese obstringit; Christus autem ait: *Si vis perfectus esse, vende vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* (Matth. 19. 21.)

Quæres 1^o. an monasterium sive communitas religiosa possit rei cuiuspiam temporalis dominium habere.

Resp. id posse ex Concilio Tridentino cujus ea sunt verba: *Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus S. Francisci, ... ut bona immobilia eis possidere liceat.* (Sess. 25. de Regularib. cap. 3.) Præterea si congregatio religiosa non esset domini capax, maxime quia paupertatem proficitur: atqui hæc ratio nullius est momenti; siquidem dominium in communi non excludit paupertatis professio; sed prohibet duntaxat ne quis privatus de ulla re statuatur tanquam dominus, & citra Superioris consensum.

Quæres 2^o. an Religiosus quilibet solemniter professus, bona sive mobilia, sive immobilia possidere queat.

Resp. id à Concilio Tridentino sic prohiberi: *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, possidere, vel tenere; sed statim*

ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. (ibid. cap. 2.) Clemens VIII in Bullâ pro Regularium reformatione datâ, quæ incipit *Nullus omnino*, Concilii Tridentini mentem explicans, vetat ne ullus fratrum quidquid boni vel pecuniæ, quâcumque ratione acquisierit, tanquam proprium possideat; *Sed ea omnia*, inquit, *statim Superiori tradantur & monasterio incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proveniuntibus confundantur, quò communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit.* Idem jubet Synodus Cameracensis, duobus post Tridentinam annis celebrata: *Omnis illa pecunia, vel res quam Monachus, vel Monialis, acquirere sive labore, sive industriâ, sive amicorum liberalitate, seu denique quâlibet aliâ occasione possit, Superiori mox tradatur, ita ut ad nutum ejus tanquam res communis expendatur.* (Tom. 15. Conc. Can. 10. p. 175.)

Ex dictis colliges contra paupertatis votum peccare 1^o. Religiosos qui rem temporalem & alicujus pretii, sine Superioris licentiâ retinent, absumunt, permutant, commodant, alienant: hæc enim omnia, quando fiunt proprio arbitratu, sunt actus domini; 2^o. qui rem ad quemdam usum concessam, in alium, licet honestum, impendunt citra Superioris consensum; 3^o. qui earum etiam rerum quas possunt consumere, ut esculentorum, aut pecuniæ ad iter faciendum datæ, partem sibi subtrahunt, ut eam aliis largiantur, aut in alios usus, ludum, v. g. sine Superioris permisso adhibeant: hæc enim singula totidem sunt domini actus, ac proinde Religioso illiciti.

Quæres 3^o. quid sentiendum sit de pensionibus, quæ puellis Religionem proficitibus eâ lege constitutæ sunt, ut in ipsarum tantum usus impendantur.

Resp. non approbandas esse hujusmodi pensiones; eas quippe non ferunt præfata, tum Concilii

Tridentini, tum Clementis VIII, tum Synodi Cameracensis decreta, quæ præcipiunt ut quidquid pecuniæ acquirunt Monachus & Monialis, cum ceteris Monasterii bonis confundatur, in communemque illius usum conferatur. Qua de re sic habet Eminentissimus Cardinalis de Noailles, Archiepiscopus Parisiensis, in Statuto anni 1697 : *Comme les pensions particulières que les parens donnent à leurs filles, les rendent ordinairement propriétaires, & les engagent à violer leur vœu de pauvreté, quelque prétexte qu'elles prennent de ne les posséder & employer, que par la permission des Supérieures. Nous défendons à toutes Supérieures d'en souffrir aucunes, qu'elles ne soient mises dans le dépôt commun du Monastere, pour être employées, comme les autres biens, aux besoins de la Communauté.*

Quæres 4º. an valeat Monialis aut Monachi excusatio, qui pecuniam vel à parentibus acceptam, vel propriam industriam acquisitam, non confundunt quidem cum aliis Monasterii bonis communibus ; sed in eam pecuniam se nihil dominii retinere velle distant.

Resp. vanam esse hanc excusationem : 1º. enim hæc agendi ratio manifestè Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis contraria est ; 2º. seipsum decipit huiusmodi Monachus vel Monialis, cum asserit se in pecuniam suam omne dominium, omnemque affectum exuisse. Si enim significet Superior velle se pecuniam hanc cum ceteris Monasterii bonis confundere, ut in communes aliorum usus adhibeatur, nonne statim in querelas erumpit ? nonne huic consilio, quantum potest, obstitit ? numquid omne dominium abiecit qui ita agit ? *Mentita est iniquitas sibi.*

Quæres 5º. quid sentiendum sit de consuetudine quæ nonnullis in Monasteriis invaluit, ut cuique

Religioso vel Moniali quotannis detur certa pecuniæ summa, unde quæ sibi necessaria sint comparent.

Resp. consuetudinem hanc vitio proprietatis locum dare, ad liberumque receptam pecuniæ usum inducere. Quidquid enim ex ea pecunia superest parvis Religiosis, sibi retinent, & pro suo arbitrio impendunt : quod voto paupertatis adversatur. Huic malo ut occurrerent, præfatam consuetudinem non semel reprobârunt Concilia : eam prohibuit Albigense an. 1254 ; Cameracense an. 1565 statuit ut Religiosi quæ sibi necessaria sunt recipiant ; non in pecunia, sed in ipsa rerum substantia. Concilium etiam Mechliniense (*de Malines*) septem post Tridentinum annis celebratum, præcipit ut *viduus, vestitus, ceteraque vitæ subsidia singulis pro necessitate indigentia & Monasterii facultatibus, subministrantur, non in pecuniis, sed in specie rerum.* (*Tom. 15. Concil. c. 1. de Regularib. & Monial. pag. 814.*)

ARTICULUS V.

De Regularium claustris (gallicè clôtüre.)

Claustris Monialium quantâ curâ consulere debeant Episcopi, patet ex iis Concilii Tridentini verbis : Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis clausuram sanctimoniam, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, observari maximè procurent ; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque penas compescant ; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. (*Sess. 25. de Regularibus, cap. 5.*)

Quæres 1º. an liceat Monialibus professis, saltem ad breve tempus, è Monasterio exire.

Resp. ea de re à Concilio Tridentino sic esse constitutum: *Nemini sanctorum liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætectu, nisi ex legitima aliqua causa, ab Episcopo approbata, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus.* (*Ibid.*)

Quæres 2^o. an cuiquam licitum sit intra Monasterium claustra ingredi.

Resp. id nemini licitum esse, nisi ab Episcopo vel Superiori licentiam scripto datam obtinuerit; *Ingredi autem intra septa Monasterii, ait Synodus Tridentina, nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso factò incurrenda: dare autem tantùm Episcopus vel Superior licentiam debet, in casibus necessariis.* (*Ibid.*)

Quæres 3^o. utrùm ab ingressu in Monasteria Religiosorum prohibeantur mulieres.

Resp. id plurimis Conciliis vetitum esse. Pauca feligemus Turonense II anni 567, præcipit *ut mulier intra septa Monasterii nullatenus introire permittatur.* (*Tom. 5. Concil. pag. 856.*) Trevirense an. 1549, sic vetat: *Religiosi omnium Ordinum, ut sinistra suspitionis etiam tollatur occasio, quascumque mulieres religiosas & servientes Deo, in ambitum Monasterii recipere aut introducere nullatenus præsumant.* (*Tom. 14. Concil. pag. 715.*) Cameracense an. 1565, *Mulieres, inquit, si quandoque ad cœnobita venerint, non eis concedatur accessus, etiamsi Religiosæ sint & Moniales.* (*Tom. 15. Concil. pag. 174.*) Eamdem disciplinam defenderunt Cleri Gallicani Comitæ an. 1625 & 1645, his verbis: *Nuls Religieux ne peuvent... laisser entrer aucune femme dans leurs cloîtres, & leur est défendu de faire aucunes processions, prédications, ou autres actions publiques dans leurs cloîtres, où les femmes sous ce prétexte puissent être introduites.*

Quæres 4^o. quas in pœnas incurrant mulieres quæ Regularium claustra fubeunt, & Religiosi qui eas introducunt.

Resp. Pii V & Gregorii XIII constitutionibus, quarum altera an. 1566 incipit, *Regularium personarum*, & altera an. 1575 sic orditur, *Ubi gratia, mulieres quæ Regularium claustra ingrediuntur, in excommunicationem Papæ reservatam ipso factò incurrunt; Religiosi verò qui eas introducunt, declarantur ipso factò à divinis suspensi, officiis suis privati, ad aliaque obtinenda inhabiles: illæ autem Bullæ in Galliis vim non obtinent, ubi non sunt promulgatæ. Notandum tamen prædictis censuris subiacere Religiosos qui mulieres sua in claustra admittunt, si in suorum Ordinum capitulis promulgatæ, & usu receptæ fuerint præfatæ constitutiones: tunc enim apud eos vim legis habent.*

